

CAPVT LXI.

Patriciani cur sic appellati. Erroris eorum capita
duo recensentur.

Patriciani à Patricio nuncupati, substantiam² carnis humana non à Deo, sed à diabolo conditam dicunt, eamque sic fingendam & detestandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse.

I Patriciani.) Minutæ iam aliquot hæreses sequuntur, non quidem dogmatis, sed famæ & celebritatis ratione, qualis hæc. Pauci enim omnino huius meminerunt, & quod reliqui de ea scribunt, veluti Isidorus, Gratianus, & Bernardus Lutemburgus, ex hoc Augustini loco transcriptum est ad verbum. Ac mihi quidem fit verisimile, cum hæc esset cœnosus Marcionitarum & Manichæorum fontis riuulus, ab vno aliquo dogmatum istorum discipulo & propagatore nouo Patricianorū nomine vocatam & donatam, quò lateret securius, lubentiùsque reciperetur: quæ tamen statim extincta neque latius peruagata est. Nec verò nouū est, ut vnus & idem error variis à professorum nomine appellationibus, tanquam variæ essent hæreses, proponatur & damnetur. Ergo quis fuerit hic Patricius non est traditum. Neque enim is fuit qui à Socrate lib. 3. Histor. capite 25. dicitur Episcopus Palti. (Paltos autem erat Syriæ ad Libanum sitæ oppidum) quia fidem orthodoxam ille tenuit. Hic autem noster Patricius fuit planè κακός & hæreticus, & quidem teterrimi dogmatis propugnator. Sed nec is Patricius est, cuius meminit